

formam, quae ne rationi quidem ullo modo esset conveniens, eandem sententiam in ipsius huius fabulae praefatione contra Osannum tutatus est: *Pseudulus* formam bis esse servatam in argumento quindecim versuum: eandem prodire ex D codicis aliquot inscriptionibus, denique accedere Nonii, Servii, Charisii, Probi, Prisciani testimonia. Cum his conferantur, quae idem Opusc. phil. vol. III p. 7 (cf. 332 sq.) monuit. Contra Ritschelium Fleckeisenus Anal. vol. XCIII (a. 1866) p. 9 sqq. *Pseudolus* formam rationi nullo modo convenire negavit: testimoniis veterum eandem formam firmare studuit Seyffertus Philol. vol. XXV (a. 1867) p. 448 adn. 3, postquam iam thesi altera dissertationis a. 1864 de bacch. vers. editae hanc rem breviter attigit. A quibus disputationibus profectus cur ipse dissentiam a Ritschelio, nunc exponam. Ex testimoniis primum eximenda sunt duo, quae ex codice Ambrosiano peti solebant, cum Argumenti v. 10 aperte *Pseudolus* extet, versu autem 15, ubi legitur *seudulo*, *sedulo* obversatum esse librario probabile sit. Porro quod D¹ vel D² saepius *Pseudulus* quam *Pseudolus* habent (*u* habet I 4, II 2 D¹, II 3, II 4, IV 1, IV 2, IV 3, IV 4 D²: *o* inser. et subscr. D¹, I 2 rubr., V 1 D²), ei rei propterea non multumtribuendum est, quod neque C neque B vestigium ullum huius formae exhibet, ut vix ex archetypo derivari possit. Itaque ex Plauti codicibus prodit forma *Pseudolus*, quam etiam argumenti prioris auctor firmat. Accedunt testimonia Festi, ubi nusquam *Pseudulus* extat, Plinii, fortasse etiam Donati, siquidem editionibus fides habenda est. Apud Servium Danielis praevallet *o* (ad Aen. X 727; IV 301; I 378: fluctuant libri IX 641; IX 484: *u* est X 231): ipsius Servii loco (in Aen. I 140) utraque scriptura exhibetur. Diomedes *o* et *u* habet p. 381 et p. 379, *u* p. 339. Probus qui dicitur *o* habet p. 26, 29, *u* p. 8, 16 = Mar. Plot. p. 473, 14. Prisciani libri *u* exhibent I p. 139, 12; p. 505, 2: reliquis locis utraque forma in libris est, sed ut praevaleat *u*, nisi quod *pseudolus* plerique libri habent p. 388, 9 idque in Plauti verbis ipsis. Porro *u* est apud Gellium, Porphyryonem, Charisium, Cledonium, in glossario Plautino. In Nonii